



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Vera Concilii Tridentini Historia**

Contra falsam Petri Suauis Polani narrationem

**Pallavicino, Sforza**

**Antverpiae, 1670**

Capvt XVII. Legatorum, multorumque Patrum Bononiam accessus. Aulæ Romanæ, ac Pontificis de translatione iudicium. Animaduersiones & consilia à Legatis scripta.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11665**

cebat Pontificis iniussu, ne inde paucorum repugnantia plerosque aduersus quàm & sentirent & vellent, in pestilentia carnificina constringeret. Si omnes qui imperant, potestate quàm subditis imperant, per æquitatem circumspectionemque vrentur, nihil sanè dubitandum esset, quin regium imperium, quod suapte naturam ut filios, non ut mancipia subditos habet, liberorum regimen foret, quàm planè voce filios in familiis Latini præseruis appellant. Tunc Reipublicæ administratio optima est, cum in eo qui præest, auctoritas coërendi maxima, ipsius vsus minimus est.

C A P V T X V I I

*Legatorum, multorumque Patrum Bononiam accessus. Aula Romana, ac Pontificis de translatione iudicium. Animaduersiones & consilia à Legatis scripta.*

**T** Tridento Legati discessere die duodecimam Martij, S. Gregorio sacrâ, quàm planè biennium<sup>a</sup> ab eorum aduentu explebatur. Bononiam aduenere tardiùs citiùsve quotquot sententiâ conuenerant: ac Tridenti pariter subistere, qui ut substeretur auctores fuerant, præter Fæsulanium; <sup>b</sup> qui causatus apud Montanum inopiam itineri imparem, tacitè se comitem ipsis obtulit. Verùm asperius vehementiusque quàm par erat hominem Legatus excepit, eum acturum consultius, si Bononiam pergeret, priorem contumaciam purgaturus: quo ille perterritus, aliquamdiu cum Cæsarianis ibi substitit, ut aliquo patrocinio niteretur: interim à Polo ac Rodulfo Cardinalibus amicis ope imploratâ, effectum per eos est, ut <sup>c</sup> datis humaniter litteris, à Farnesio Bononiam inuitaretur, quibus ille confirmatus eò perrexit.

<sup>a</sup> Aduenere Tridentum 13. Martij 1545. ex Diario.  
<sup>b</sup> Colligitur ex Epist. ad Ceruinum, ab eius ministro Roma: 26. Martij 1547.

<sup>c</sup> 26. Iulij, ex Diario.

**2** Agathensis ac Portuensis ut medium in dicenda sententia, perinde in reipsâ tenuerunt. Alter, qui statim Rege nominante Agathensem Ecclesiam in Mirapicensem commutauit, Tridento abiit, nec Bononiam petiit, sed Ferrariam, mandata præstolaturus eiusdem Regis: quo per eos dies vitâ functo, eiusque secundo filio Henrico, qui Patri successerat, harum rerum nondum conscio, Episcopus non ante mensem Septembrem vnâ cum Gallicis Oratoribus adire Bononiam iussus est. Eodem tempore <sup>d</sup> Portuensis accessit, qui initio precibus Hispanorum victus Tridenti permanerat; sed mox duobus è familia sua Tridentino morbo correptis, & ex his altero intra triiduum sublato, fugam potiùs arripuit, quàm discessit: ita consilium, de quo verbo dubitauerat, factò comprobauit.

<sup>d</sup> Ex Apologia Episcopi Feltriensis pro translatione, quæ extat in Volum. Actuum in Arce Romana, signato lit. A. in fine.

1547.

e Ex amicis  
litteris Ro-  
mā ad Cer-  
uinum, 19. &  
26. Martij  
1547.

Interea delati Romam nuntij, quò minus opinati eo fecundio-  
res sermonum in ea vrbe, in qua cum omnes capaces supremi prin-  
cipatus sint, omnes saltem de ipso ferre sententiam amant. Aulici  
mediocri notæ, quando mediocritas tum oculorum tum men-  
tium suspicionis umbris perstringitur, Deo grates agere, & Lega-  
tos celebrare, quòd Apostolicam Sedem iis damnis exemissent,  
quæ multorum Episcoporum arrogantia moliebatur, commoran-  
tium in ditione illius profani Principis, qui supra ceteros cum iurif-  
dictione Pontificia pro veteri æmulatione contendit. E contrario  
Hispani indignati, quòd inuitis suæ gentis Episcopis, suoque Rege  
planè infcio, id simul & statutum fuerat & peractum: accusare  
Cerinum, quem omnium auctorem existimabant; nihil ab eo fieri  
potuisse seu perniciosius Pontifici, cuius ingens studium ostentabat,  
seu Casari conducibilis: etenim cum Pontifex eam incuriam er-  
ga Casarem præ se ferret, eum pariter à cura tuendæ Pontificiæ au-  
ctoritatis liberauerat, adeoque iam integrum Carolo erat cum Pro-  
testantibus concordiam inire, eas solum condiciones complexuro,  
quæ suam potentiam prouerent.

f In Diario  
Massarelli,  
27. Martij  
1547.

Pontifex ubi primum de suborta lue ex Legatis cognouerat, in-  
iunxerat Romano cœtui, ad negotia Concilij à se destinato, vt hac  
de re deliberaret. Hic verò ex plurium sententia censuerat consi-  
lium dandum esse Pontifici, vt Legatorum iudicio obsecundaret;  
nimirum, vbi morbus discrimenque perduraret, & Patres profectio-  
nem vellent, Synodus Bononiam deduceretur: sed postridie de iis  
quæ Tridenti gesta erant, certior factus Pontifex, quòd à Romano  
cœtu statutum fuerat occultauit, ne tum ipse, tum ipsius Consi-  
liarij non modò rei gestæ, sed ne voluntatis quidem sententiæque  
participes Casarianis viderentur. De quo arcanis notis à fratre  
Montanus fuit admonitus. Verumtamen noluit Paulus suorum Le-  
gatorum aut existimationem aut nomen minuere, facti comproba-  
tione in Aula conspectu dubitationi relictâ: quin in Purpuratorum  
Senatu & sanctionem commendauit ceu necessariam, prudentem at-  
que legitimam. His vniterfusus Senatus assensus est, tribus exceptis,  
qui fuerunt ex Hispanis Burgensis & Corientis, ex Italis verò Sa-  
doletus, apponentes, oportuisse rem prius cum Casare communica-  
ri. Tum commotior respondit Pontifex, rem ritè peractam, nec  
opus fuisse quidquam amplius expectari, duos ipsos annos Germa-  
nis frustra expectatis. Cumque Corientis nescio quid obiecisset,  
eum Pontifex admonuit, eius Ordinis viros ab humanis affectioni-  
bus purgatiore esse debere. Hæc publicè Paulus, satis gnarus, si  
Legati

g 23. Martij  
1547. ex lit-  
teris amicis  
ad Legatos,  
& ex Diario  
Massarelli,  
27. Martij.

Legati tam potentis aduersarij accusacionibus indignationique expositi à se deferrentur, numquam sibi amplius ex suis ministris fidem constantiamque reposcendam. 1547.

5 Sed animo non æquè ac vultu res illi probata, turbas prospicienti ex eo motu futuras. Quare quieteris auidus, in quam consilio, ingenio, multoque magis ætate decrepitâ ferebatur, nec plenam ex euentu lætitiâ cœpit, nec planè Legatis assensus est, <sup>h</sup> qui sine suo peculiari mandato, potius veteri ipsorum voto, quàm suis moderatioribus sensis obsequi voluissent. Hinc per Maffeiū ipsis significauit, eam migrationem duos intra menses sibi futuram fuisse gratiorem, per duas interim Sessiones reliquis necessariis ad Fidei dogmata morumque restitutionem sanctionibus confectis; tum verò non modò transferri, sed absolui Synodum potuisse: neque videri sibi, ex præsentis Concilij statu adeò festinandum fuisse, cum in duabus postremis Sessionibus omniâ ex Apostolicæ Sedis reuerentia ac dignitate digesta ac stabilita cernerentur. Ipsis etiam querimoniarum Giennensis indicatæ sunt, qui suis litteris affirmatæ luis falsitatem persuadere studuerat, & Cæsaris postulata efficaciter obrudere, vt confestim Synodus Tridentum reuocaretur.

<sup>h</sup> Ex litteris memoratis ad Ceruinum, & ex responsione ad Maffeiū, 26. Martij 1547.

6 Ad hæc Ceruinus: <sup>i</sup> Se quoque præoptasse, vt translationis occasio in tempus opportunius incidisset, hoc est, subsidiis indigentiarum rerum per Synodum plenè collatis; sed res fortuitas pro sua voluntate componere, solius esse Diuinæ potentiarum: elicere quod possit optimum ex iis quæ casu accidunt, humanæ prudentiarum partes esse: ad ferendum ea de re ac etiam de ceteris iudicium, æquam legem non habendam, vt mala & incommoda inde dumtaxat protecta perpendantur. Sed vt res cum opposita sibi re conferatur, obuersetur cuiusuis animo, quò tandem Sedes Apostolica deuenisset, vbi Legati Synodo Tridenti interessent, ex iis tantum conflata capitibus, quæ mortis metum, simulque Decreta ab vniuerso Concilio solemniter promulgata Cæsaris gratiarum posthabebant; & vbi ab ipsis penderent legum omnium sanctio, & cuiuscumque pro Concilio nouæ stationis electio, Legatis nil repugnare ausuris absque nota ademptæ Concilio libertatis. Si superiores Sessiones prosperè processerant, non idcirco secundo vento iter habitum, & sine remigum arte. Quin detectum fuisse, nec in vno tantum ex Patribus, ingenium turbulentum, procellas moturum, nisi maior frequentia illi obstitisset. Verum quidem esse, Præsides diserta Pontificis iussa minimè præstolatos: sed neque militum Tribunos imperium Principis præstolari, vbi cum longè maiore discrimine regnum vniuersum.

<sup>i</sup> Ex duabus litteris ad Maffeiū, 23. & 26. Martij 1547.

1547. sum vnico prælio committitur. Si supra biduum cunetabatur, scribebat ille, nonnisi Cæsarianorum agmen Tridenti fuisse perman-  
surum. Cùm igitur Legatis diserta lex adesse non possit, in mentem  
ipsis venisse Romani Iuriconsulti documentum, cùm huiusmodi  
lex non adest, normam ex regulis generalibus esse sumendam, & ex  
legibus, quæ in similibus rebus constitutæ iam sunt. Numquam re-  
uocata fuisse mandata sibi vniuersè tradita deferendi aliam in se-  
dem Concilij ex plurium sententia, vbi graue aliquod detrimen-  
tum impendere Sedi Apostolicæ animaduertent: atque in simili  
ingruentis metus conditione, ob armorum propinquitatem, huius-  
modi peculiarem facultatem iussionemque fuisse Legatis à Pontifi-  
ce transmissam. Hoc posito, cuncta postea tam legitimè peracta, vt  
ne ipsi quidem Hispani quod opponerent quidquam haberent.  
Quæ Romam Giennensis scripserat ad eleuandam opinionem mor-  
bi, inania esse: præter legitima testimonia à seipsis producta, & à  
Patribus comprobata, rem in dies confirmari nouis multorum fu-  
neribus, & periculosis eorum ægrotationibus, qui Concilij causâ  
Tridenti aderant, quorum syllabus in Ceruini litteris habebatur.  
Hinc verò effectum, vt Venetiis non Tridentum modò, sed ager  
Tridentinus ob suspicionem contagij vitanda promulgarentur.  
Quod spectabat ad medicos Tridentinos, posse à Legatis eorum iu-  
dicia de morbi contagione produci; sed nolle tunc iis vti, ne cui-  
quam citra emolumenti publici necessitatem damnum inferrent.  
Factum igitur haud improbandum, atque id sibi purgandis satis esse.

Sed neque pariter dolendum: quandoquidem Synodus, si vel-  
let Pontifex, Bononiæ locabatur; vbi nollet, facile posse dilapso  
morbo Tridentum reduci; adeoque Cæsarem accepti à Paulo bene-  
ficij loco ducturum id, quod, nisi hoc euenisset, in pretio non fuis-  
set. Quamquam de huiusmodi reditu, quantum ipse arbitrabatur,  
lentè agendum esset; perinde atque in rebus ceteris magni momen-  
ti, quas in nostra potestate sit agere, non item postea reuocare. Pro-  
inde vbi Pontifex eò propenderet, facturum pro sua prudentia fuis-  
se, si prius Legatos, aut vnum ex iis coràm audiuisset. Multa pagi-  
næ concedenda non esse, multa calamo exprimi non posse. Interea  
videri sibi, neque cautiùs neque honestius posse Cæsari responsum  
reddi, quàm si significaretur, Concilium, vti suâ sponte Tridento  
discesserat, ita par esse vt suâ sponte regrederetur. Proinde Cæsar  
Antistites, qui substiterant, Bononiam mitteret, ibique reditum le-  
gitimè decernendum curaret; qui Patribus suaderi faciliùs posset  
iniecità spe conciliandæ Germaniæ, vbi eadem priùs promulgatas  
à Con-

à Concilio Tridentino sanctiones ipsius opè complecteretur: ita ostensum iri, incommoda loci, nauatæ operæ fructu compensari. Hoc dato responso & moræ beneficium adepturum Pontificem, & vbi conditiones acciperentur, duo summi pretij commoda consecuturum; nimirum, vt Cæsariani Bononiensem, & Germani Tridentinam Synodum legitimas agnoscerent. Addebat Ceruinus: Ad augendam Bononiensis Concilij dignitatem ac nomen, tria plurimum conductura: primum, si multorum Præfulum ipsi fieret accessio, quibus Cæsarianorum absentia compensaretur, Synodique maiestas auctior foret: alterum, si Pontifex, modò id valetudo permitteret, Bononiam veniret, menses aliquot ibi moraturus; cum id intersit inter summum in terris luminum Principem, ac summum in Cælo, quod hic minora lumina dissiicit, ille congregat; quod si per senium haud ipsi liceret, futurum tamen vsui, si per famæ rumorem id futurum vulgaretur. Postremum, si, cum præcipua Fidei dogmata iam fuissent statuta, de reliquis id temporis non ageretur, ceu de re Cæsari minus grata, & vnice daretur opera morum reparationi, vt ab eodem expetita, & Christianis populis acceptissima; cum facilius inducerentur homines ad comprobandum ceu legitimum tribunal illud, cuius sanctionibus ceu salutaribus gaudent.

C A P V T XVIII.

*Postulata Cæsaris, ac responsa Pontificis. Tres Legati pro rebus Anglicis lecti.*

**H**Æc Ceruini consilia in tempore accepit Pontifex, qui non solum ea secutus est, missis ad Synodum pluribus Episcopis doctrinâ præstantibus, sui que futuri itineris famâ excitatâ, sed etiam ex eiusdem sententiâ datis ad Cæsaris postulata responsis. <sup>a</sup> Etenim cum delatæ Romam fuissent præferuidæ Caroli litteræ, vt Concilium priorem ad sedem regrederetur, responsa differre amplius haud licebat. Rei peractæ nuntios acceperat Cæsar quatruiduo post, <sup>b</sup> decimo sexto videlicet Martij; nec nisi quatuor horas cunctatus, velocem cursorem ad Ioannem Vegam suum Romæ Oratorem impulerat, vt omni conatu celerem Synodi reditum curaret; ratus tum dignitati suæ conuenientius, tum facilius regressui impetrando, si pateret, Tridenti rursus Synodum conspici per eos primos dies, cum abiisse nondum videretur, nec Bononiæ nouam agere personam cœpisset, nec præterea Pontifex auctoritate suâ

<sup>a</sup> Litteræ Maffei ad Ceruinum, 4. Maij 1547.  
<sup>b</sup> Ex litteris ad Ceruinum memoratis, & ex Epist. Farnesij ad Verallum, 5. Aprilis 1547.

*Pars II.*

M

rem